



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 102. Nerii Corsini Cardinalis decessus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII. quæntia plus valeat, quam privata disciplina, hinc ad Perusinam Academicam missus, sacrationibus scientiis, quæ ad firmitus ætatis robur reservatæ sunt, operam dedit acri ejus ingenio, & insatiabili discendi cupidini respondentem. Postea Doctoratus laurea insignitus, Romam venit, ubi editis pluribus præclaræ indolis ac eruditionis speciminibus varias dignitates & munia in Aula Pontificia adeptus est, ac demum Flavio Chisio in Gallica Legatione comes, postea ipse Purpura decoratus, Legationem Bononiensem difficillimis temporibus, summa prudentia, comitate, vigilantia & integritate administravit usque ad ultimum obitus sui diem, scilicet primum Aprilis, quo ætatis suæ annum sexagesimum expleverat: Posteris reliquit inter alia ingenii sui monumenta varias epistolas ad diversos, decreta pro Cleri reformatione, & præter duas orationes Synodales præclara statuta pro Diœcesi Bononiensi.

§. CII.

Nerii Corsini Cardinalis decessus.

Hujus funesta vestigia pressit Nerius Corsinus Patricius Florentinus, qui a pueritia ad adultam usque ætatem libera-

beralibus disciplinis Romæ imbutus, *Sæc. XVII.*
 in variis Italiæ Academiis Juris utrius- *A. C. 1678.*
 que studio vacabat, demum vero ob-
 tenta Legum laurea Romanæ Curiae
 animum adjecit, ac Cameræ Aposto-
 licæ Clericus, & Damiatensis Archi-
 præsul renuntiatus, pro obeunda Le-
 gatione Gallica Avenionem contendit,
 ubi tamen ab Innocentio X. subsistere
 jussus, grave dissidium inter Nobiles
 & plebejos exortum non sine utriusque
 partis satisfactione feliciter extinxit,
 atque in rei bene gestæ testimonium
 ab eodem Pontifice Infulam Aretinam,
 aliaque Sedis Apostolicæ munia, ab
 ejus vero Successore ærarii Pontificii
 Præfecturam, & demum Romanam
 Purpuram adeptus est. Hac dignitate
 conspicuus Legationem Ferrariensem
 obiit, qua absoluta Romam redux, in
 pluribus Patrum cætibus doctrina, &
 miro in dicendis sententiis judicio ac
 promptitudine eminuit: demum vero,
 ut eo liberius Deo, sibi que serviendo
 tranquille mortem oppetere posset, ab-
 dicato Episcopatu Aretino Roma Flo-
 rentiam secessit, ubi etiam post vitam
 sancte transactam, ac facultates potis-
 simum pauperibus testamento relictas
 die decima nona Septembris animam
 Deo reddidit.

§. CIII.